

fit, & si deinceps coquatis aurum fit. Dico quoniam ipsum mare in rubeum vertit & auricollam. Et scitote, quod non vertitur aurum in rubiginem, nisi per aquam permanentem, eò quod natura naturâ lætatur. Regite ergò ipsum coquendo in humorem donec natura abscondita appareat. Si igitur exterius apparente septies ipsum, aqua imbuite, coquendo, imbuendo & assando, donec rubeum fiat. O illæ naturæ cœlestes, veritatis, naturas nutu Dei multiplicantes. O Natura illa fortis, quæ naturas vincit ac superavit, suasque gaudere, & lætari facit naturas. Hæc igitur est specialiter cui Deus eius posse tribuit quod ignis non potest. Ideoque magnificauimus, & honorificauimus, eam, qua nihil est preciosius, in vera tinctura, cui simile, vel par minimè invenitur. Ipsa est veritas, quam sapientiam investigantes amant. Liquefacta enim cum suis corporibus altissimum operum operatur. Nonne si veritatem sciretis, mihi multipliciter gratias ageretis. Scitote ergò tingentes cinerem: quæ mixta sunt oportet vos diruere: Namque ea quæ ei miscentur superat, & in suum vertit colorem. Et quemadmodum apud visum superficiem vincit, sic intima superavit. Et si vnum sit fugiens, alterum verò ignem patiens, utrumque utriusque iunctum, ignem patitur. Et scitote, quod si superficies, nubes dealbaverunt, procul dubio intima dealbabunt. Et scitote omnes Sapientiæ investigatores, quod res una superat quatuor, & quod sulphur nostrum solum omnia comburit corpora. Respondit Turba: Optimè dixisti Parmenides, non tamen fumi dispositionem posteris demonstrasti, nec qualiter ipso dealbatur.

Sermo duodecimus.

LVCA S *inquit*: Ego dicam, in eo vestigia sequens priorum. Et scitote omnes Sapientiæ investigatores, quod Tractatus hic non est ab initio regendi. Accipite argentum vivum, quod ex masculino est, & secundum consuetudinem coagulate. Nonne me videtis, vobis dicere secundum consuetudinem, eò quod prius iam coagulatum est. Non est igitur hoc regendi initium, hoc tamen iubeo, ut argentum vivum, quod ex masculino capiatis, & ponatis super ferrum vel stannum vel æs gubernatum, & dealbabitur. Similiter fit alba magnesia, & masculus cum ea convertitur. Quoniam magnetis est cum ferro propinquitas quædam, ideo